

# Coleoptera nova Imperii Rossici.

Descripta ab A. Starck in Utsch-Dere.

IV.\*)

## I. Cechenus Boeberi Ad. var. nov. Ganglbaueri m.

Femina, formam et habitum prope masculinum praebet, quia capite est parvo, elytris postice dilatatis ac abbreviatis, dum *Cechenorum* omnium reperta exemplaria feminina elytra rursum valde producta habent. Thoracis margines externi basi sine ulla excisura, ab angulis posticis usque ad anticos continuo rotundati; basis thoracis fere apici latitudine par est; thorace medio rarius, extreto densius punctato. Subtus niger, supra parum viridis, elytrorum margine splendidiore.

Quae varietas, valde distincta, Julio mense anno 1893 regione nivali septentrionalis montis Aischcha lateris, Cauc. oc., a me capta est, nomen ei inditum in honorem Ludovici Ganglbaueri, munere Custodis Musei Caesariani Viennensis fungentis, viri illustrissimi, qui maxima mihi in auctoritate semper est.

## 2. Cechenus Boeberi Ad. var. nov. elongatus m.

Femina, angustior ac elongata, elytrorum margines paralleli, parte solum quarta ad apicem angustati; elytris acute crenato-striatis, punctis attamen nullis impressis, quarum series tres *Cechenis* ceteris notam communem faciunt.

Una cum varietate antecedente hoc insectum a me captum est.

*Nota.* Non nullo dubio mihi est submissum, quae sit forma vero *Cecheni Boeberi* Ad. ac quae sit speciei hujus varietas *Fischeri* Fisch.?

Ex operis illustrissimi Fischeri Waldheimensis (vide Entomogr. Imp. Ross. T. III., pag. 233, 234) nulla dissimilitudo cognoscitur, nisi quod *Cechenus Boeberi* verus elytris irregulariter punctatis, varietas autem Fischeri elytris triplici serie punctatis gaudet. Chaudoir (Enumer. des Carab. et Hydroc. p. 101) hanc dissimilitudinem omisit, formasque ex colore divisit, quod *Cech. Boeberi* verus est „rougecuivreux très-brillant“, dum *Cech. Fischeri* est „constamment d'un vert un peu obscur.“ Quod ad cetera dissimilitudinis signa a Chaudoir notata, tantam

\*) III. Wien. Ent. Zeitg. 1890. pag. 71.

praebent inconstantiam, ut evanescant fere inter multa exemplaria cum continua variatio percipi potest. Aliquot hujus specie exemplariorum centuriis pervisis quae a me passim in regionibus Cauc. occid. collectae sunt ac cum exemplaribus in Caucaso centrali captis ascidue comparatis ad opinionem adducor varietatem *Cech. Fischeri* stabiliri tenuiter non posse. *Cecheni* omnes plus minusve obscuri elytrorum thoracisque marginibus splendidioribus, colore frequentissimo viridi, rarius violaceo, multo rarius parum cupreо, rarissime nigro. Capitis magnitudo, convexitas, thoracis margines et anguli rotundati, ejusque punctatio, ipsa elytra plus-minusve lata, punctorum series tres acute impressae vel tenuiter vix ut conspici possint: haec signa omnia continuo variant neque ulli colori constanti respondent sed omnia cuique. Quod ad notam Fischeri — „puncta elytris irregulariter impressa“ nusquam vidi, totidem ex Chaudoir splendide colorata exemplaria — „rouge-cuivreux très brillant.“

### 3. *Carabus (Tribax) Biebersteini* Mén. var. nov. *Jermolowi* m.

Varietas haec ejusdem speciei *Tr. agnato* Gnglb. simillima, femoribus rubris tamen apicibus exceptis, id quod semper animadverti potest idque notatu dignissimum; corpore angusto, procero; elytris colore viridi vibrantibus, punctis profundioribus densius quam *agnato* impressis.

Unicum ♂ exemplarium Junio mense anno 1893 regione alpestris lateris meridionalis montis Aischcha captum est. Varietati nomen inditum in honorem agriculturae possessionumque publicarum nuper assignati Ministri, quo freta agricultura rossica resurrectionem ex sopore quodam exspectat, Imperatori Augustissimo a consiliis intimis A. S. Jermolowi, quocum una aliquando Academiam Metropolitanam Agriculturae frequentavi.

### 4. *Car. (Tribax) Biebersteini* Mén. var. nov. *Constantinowi* m.

Varietati *Tr. fossiger* Chd. valde similis, thorace autem sicut *Tribaci mingrelico* Rtt. valde producto; elytris postice fortius dilatatis, ut formam typicam *Tr. Biebersteini* Mén. sequatus; elytrorum costis acute eminentibus, interstitiis profunde depresso, subtus et supra niger, elytrorum margine violaceo colore vibrante.

Unicum ♂ ibidem ac supra descripta varitas captum, nomen accepit ab amico meo juveni in litteris mathematicis candidato

Universitatis Petropolitanae artisque numiendi magistro B. Constantino: o:

*Nota.* Illustrissimus ille vir entomologus Edmondus Reitter in descriptione Caraborum planorum Caucasi (Deut. Ent. Zeitschr. 1889, 247) per errorem varietatem *fossiger* Chd. ut veram formam speciei *Car. Biebersteini* Mén. aestimavit; cum *fossiger* Chd. est varietas distincta; *Biebersteini* Mén. verus v. *agnato* Gnglb. proxime similis, distat corpore toto majore, magis depresso elytrisque valde postice dilatatis. Quae forma typica annis proximis in monte Elbrusso a conservatore musei Caucasici D. Eugen Koenig est collecta, magno in numero exemplarium nihil aliud alio distantium. Ille Koenig, datam occasionem comparandi typico exemplari Ménétriesi non omisit nullamque differentiam ejus a suis exemplaribus invenit.

#### 5. *Car. (Tribax) Biebersteini* Mén. v. n. *pseudofossiger* m.

Maximus, 40 mm longus, prorsus planus, satis latus, var. *fossiger* Chaud. similis, distat imparibus elytrorum interstitiis a medio ad apicem costatis non foveolatis, elytrorum margine violaceo.

Unica ♀ a me Septembri mense anno 1893 reperta summa regione alpestri lateris septentrionalis montis Fischt (Caucasus occ.).

#### 6. *Car. (Tribax) circassicus* Gnglb. var. nov. *abagonensis* m.

Forma perparva 18—22 mm; supra violaceus, subtus corpus piceo-nigrum, pedibus antennisque rufo-piceis.

Alpestris regio summa montis Abago (Cauc. oc.) hac varietate frequens.

#### 7. *Carabus (Plectes) obtusus* Gnglb. var. nov. *coloratus* m.

Latus, valde brevis, thorace dilatato, elytris media parte valde depressis, supra cupreus.

Unicum ♀ exemplarium ab amico meo B. Constantino: o captum est regione silvestri saltus Psecocho (Caucas. occid.).

#### 8. *Carabus (Plectes) obtusus* Gnglb. var. nov. *Putoni* m.

Angustus, elongatus, minor, 26—28 mm; thoracis angulis posticis obtusis, fere obtruncatis, anticis rotundatis, imprimis ♂♂; thorace dense profundeque punctato; elytris obovatis, leniter

punctato-striatis, nonnunquam fere levatis; supra obscurus, fere niger, vix violaceo colore vibrans.

Varietas haec Junio et Julio mense anno 1893 alpestri regione lateris meridionalis montis Aischcha a me est collecta eamque in honorem viri illustrissimi, cui entomologo honoratissimo Francogallico summam reverentiam habeo, doctoris Augusti Putoni nominavi.

*Nota.* Entomologus Berolinensis Carolus Rost (vide Deutsch. Ent. Zeitschr. 1891, pag. 346) descriptam ab ill. L. Ganglbauero speciem *Plectes Starckianus* et a me descriptam *Pl. Imperator* varietates a *Pl. obtusus* Gnglb. aestimavit, id quod vix consentior. Nullum est dubium, quin collecta a D. C. Rost exemplaria minora, cupreo-aurata varietatem *Pl. obtusi* praebant, attamen *Pl. Imperator*, item ♂♂ exemplaria *Pl. Starckiani* corpore magno colore florido-violaceo formas longe alias praestant. ♂ *Starckianus* et ♂ *Imperator* acute a ♂ *obtuso* discrepant, multo longioribus et tenuibus pedibus antennisque, quarum longitudine duas corporis partes superat, thoracis fere levis, satis convexi, angulis posticis productis, cum *obtusus* thoracem dense punctatum habet, structura quoque forcipis *Starckiano* brevioris, latioris, aliter quam *obtuso* incurvati.

### 9. *Carabus (Plectes) Starcki Heyd. var. nov. parvulus m.*

Minimus (17—20 mm) thorace valde convexo, femoribus et tribus antennarum articulis primis, interdum tibiis quoque rufis, nonnunquam nigris. Cupri coloribus diversis cum cupreo-aurato splendido tam obscuro, fere nigro vibrans variat.

Frequenter varietas haec regionem summam alpestrem lateris septentrionalis montis Aischcha habitat. Quo cum loco haec sola forma, non forma typica nec ceterae varietates, reperi possit id notatu dignum esse putavi.

### 10. *Carabus (Plectes) gagrinus nov. sp. m.*

*Major, convexior quam depresso, niger, supra splendens violaceus; capite incrassato, brevi, rugoso; antennis satis crassis, longitudine paribus corporis dimidio; thorace longiore quam lato, rugoso, convexo, apicis latitudo basi par est; elytris obovatis, leniter costatis, tuberculis valde erectis; pedibus crassis.* Long. 33 mm.

Spectat inter *Pl. Starcki* Heyd. et *Pl. Reitteri* Retow. Habitu *Pl. v. synallacti* Gnglb. similis, structura forcipis *Pl. Reitteri*

Retow. Subtus splendens piceo-niger, exceptis rufis pilis serie insertis in tibiis mediis, epipleuri elytrorumque marginibus et palparum apicibus; supra pulcherrime splendens vioceus. Capite brevi, lato, incrassato, rugoso, sub oculis caveis profundis impressis. Thorace convexo, ad apicem latiore, transverse rugoso, punctis ad margines densioribus interjectis; angulis thoracis posticis rursum productis deorsum decurvatis, angulis anticis prorsum rotundatis; margines thoracis externi vix dilatati, margo apicalis fere rectus leniter carinatus. Scutellum triangulare, leniter punctatum, ad apicem cavea profunda impressa. Elytris elongato-ovatis, postice dilatatis, satis convexis, excisura apicali exigua, leniter costatis, tuberculatis acute; costarum tuberculorumque interstitia conspicue foveolata. Pygidium quoque foveolatum et pilosum. Pedes breves, crassi, profunde foveolati, brevibus pilis setisque obtecti.

Unicum ♂ (quare dubitari potest, an varietas insignis *Pl. Reitteri* sit) a me Majo mense anno 1888 regione alpestri montium Gagrenium captum.

## II. *Nebria Bonelli* var. nov. ardua m.

Thorax ad apicem valde dilatatus, forma thoraci v. *cechenoidis* Rtt. simillimus. Supra cuprea, elytrorum thoracisque margine viridi clariore, suptus nigra; pedibus (apicibus tibiarum exceptis), antennis, palpis, macula transversa frontali et sub capite stria promissa rufo-testaceis.

Regione nivali montis Schugus (Cauc. oc.) praeardui, inde nomen.

## 12. *Cortodera alpina* Mén. var. nov. fischtensis m.

A forma typica distat elytris vel totis luteis, vel duabus vix perspicuis incurvatis leniter striis obscuris impressis, cum *Cortodera alpina* vera elytris gaudet prorsus nigris.

Regione summa alpestri montis Fischt mense Septembri exemplaria aliquot collegi, formam typicam non inveni.

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Wiener Entomologische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1894

Band/Volume: [13](#)

Autor(en)/Author(s): Starck Alexandro (=Alexander) Eduard von

Artikel/Article: [Coeloptera nova Imperii Rossici. 7-11](#)